

Quaestio medica ... An maniae balnea aquae dulcis / [Ignatius Ventalo].

Contributors

Ventalo, Ignatius.
Bezac, Jean, -1738.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Montpellier : H. Pech, 1711.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mkggh3rr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ILLUSTRISSIMO VIRO
ANTONIO GISPERT
NOBILI PERPINIANENSI,
ET IN SUPRÆMA RUSSINONENSIIUM
Curiâ Regio Advocato Generali.

Tanquàm gratissimi animi monumentum, & perpetuæ obser-
vantiaæ pignus, Studiorum suorum primitias.

D. D. C.
IGNATIUS VENTALO JOCENSIS APUD
Russinonenses Artium Liberalium Magister.



MONSPELII,
Apud HONORATUM PICH, Universitatis, Cleri &
Urbis Typographum.

M. DCC. XI.

318332

ILLUSTRATIONES

ANTONIO GILBERTO

NOBILIS PERITIA

ET IN SUPREMA REGIMINATIONE

Coris Regio Advocato Generali

Tantum gratiam animi monumentum, et periculis ob
vante figura, studium loci in penitus.

D. D. C.

IGNATIUS VENTALO JOCEASIS APUD

Ruffonentes Avium Libellum Magister.



MONSIEUR

Apud Honoratum Pech, Universitatis, Cui &

Ubi Typographum

M. DCC. XI.



QUÆSTIO MEDICA.

PRO BACCALAUREATU.

. MANE DISCUTIENDA.

In Almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ.

PRÆSIDE

D. D. JOANNE BEZAC Professore Regio.

An mania balnea aquæ dulcis.



UM, inter omnes deliriorum species quibus mens perturbatur, in nullâ, à recto rationis tramite adeò deflectat ac in maniâ: de hac præ cæteris, in hoc primo nostræ eruditionis tentamine differere constituimus.

Est itaque mania, delirium circa plura, absque febre, plerumquè cum furore, & audaciâ: per tò delirium cum aliis omnibus affectibus deliris convenit; per febris absentiam, à phrenitide; demùm per alias particulas, à melancholiâ discrepat.

Priusquàm delirii maniaci causas eruamus, delirii, prout à

Aij

medicis usurpari debet, ideam præmittendam censuimus.

Sic, delirium optimè definitur : imaginatio Errônea inter vigilandum, circa objectum omnibus cognitum, citra vel ob causam manifestam, cùm intellectus judicantis assensu.

Causa proxima effectrix delirii maniacy ; est irregularis fibrarum emporii vibratio, ab inordinato spirituum animalium motu, partibus hæterogeneis in consortium adscitis dependens.

Arduum non est, illas è suis fontibus deducere ; præ nimia animi contentione, quæ prodromus est mania, spiritus in cerebro retinentur, languet fermentationis motus, materiæ recrementitiæ, & excrementitiæ, solitâ quantitate per sua cola non secernuntur ; hinc miasmata hæterogenea massæ sanguineæ suppetunt : illa adauctâ fermentatione, propter majorem salium molem, à sulphurearum & terrestrium partium compedibus expedita, unâ cum spirituosol latice per glandulas cerebri corticales præ siccitate inhiantes, ad commune sensorium proripiuntur ; ille eorum conflictu quaquaversum expanditur, in destinatas sensationibus fibras impetum facit, & memoriâ imaginationis errorem non redarguente judicia delira excitat : nec tamen in hocce spirituum tumultu fibras memoriæ inservientes otiosas esse arbitrandum.

Quandoquidèmaniacorum sanguis summopere fermentescit, ac æstuat ; & fermentationis æstrum ab atomis, naturâ suâ discordibus exoritur, hinc non sine fundamento irregularem spirituum motum his tribuimus ; si spiritus Alkalinosulphurei supponantur, quod nos probabile propugnamus, istiusmodi atomi, quas socias sibi adsciscunt, acidæ aut acidosalinæ statuendæ sunt. Si quis vero illos ad aciditatem vergere strenuè contendat, ad lites evitandas. Circa materiam, cu-

jus formam nec sensu, nec ratione consequi possumus, ipsius sententiæ adstipulabimur; copulamque explosivam spiritibus associatam Alkalinosulphuream stabiliemus.

Mania est febris expers: non quia sanguis crassus, viscidus, & resinofus modicum fluidi cordis motivi, ipsius naturam redolentis, suppeditat, tantæ enim tenuitatis est illud, sicut & spiritus animales, ut non obstante quovis vitalis liquoris tumultu, ni quid ex parte incerniculorum obstat, è sanguinis compage debito penu sequestrari queat. Hoc luculentè evincitur phrenitide, quæ feбри ardenti, sine cerebri aut ipsius membranarum inflammatione sistrophicâ, vel etiam phlogosi, supervenit. genuina igitur ratio febris absentiae repetenda, ex cruoris diathesi jam assignatâ, ejusque expansionis nisu, quibus cordis contractioni resistit. Accedit jam memoratum fluidum, ut pote quod è cordis fibrarum celulis ægrè discutitur, illud aliquandiu contractum retinere; hinc pulsus raro micat. Magnus est; ob majorem sanguinis effervescentiam, & quantitatem singulis contractionibus è sinistro cordis thalamo propulsam.

Furor maniacorum adscribi non potest precisè immani robori, quo pollent; quippè plures majori donantur, citra furorem; adscribendus est ergo; inordinato spirituum motui, quo rerum noxiarum ideæ excitantur; undè subito excandescunt, & constantibus viribus irruunt in obvios, quos sub specie hostium depræhendunt, eosque verberare, debellare, & de medio tollere conantur: reflectionis defectus ad furoris motus non parum confert; Cur autem obvios quosvis identidem sub specie hostium representent, explicare: hoc opus hic labor est.

Observandum melancholiam, & maniam, esse affectus val-

dè affines, sæpè vices mutare, seu alterutrum in alterum degenerare. Diathesis enim melancholica in pejus evecta, furorem accersit, & furor defervens, non rarò in diathesim melancholicam desinit. Undè VVillisius asserit, passiones illas quasi fumum, & flammam sese excipere, sibi que alternatim cedere.

Impressione factâ in retinâ, regeſtis radiis luminis à quovis objecto, spiritus ad emporium reſlui ſequentur determinationem eorum, qui in illo hospitantur; & unâ cum illis accurrunt ad fibras quibus, objecti mentem occupantis idolum est inſculptum, illas acriter concutiunt. Undè in objecti presentis locum refertur, imò ad certam quandam distantiam, pro modificatione motus fibrarum, ſimilitudo ad hoc aliquid facit, non tamen ſemper; ſiquidem in aëre inani hoſtium ſpectra eorum imaginationi obverſantur; quæ veluti hoſtes aggrediuntur: imo arbores, & rupes laceſſunt, & adoriuntur.

Quandòque ſibi iſſis manus violentas inferunt; ex eo quòd, ſe ſibi inſenſos, vel loco ſui inimicos imaginentur, vel deſperent de ſalute, aliove propoſito fine aſſequendis. Interdum amaſiæ ſpecie deluſi, geſtibus obſcœnis, abjecto omni pudore, virgines, aliaſve femellas ſtuprare nituntur.

Audaces fiunt, ob ingentes vires, quibus præditi ſunt, quibuſque multum confidunt, propter quas memoriâ non reſdarguente imaginationis anomalias, nihil arduum exiſtimant; ferro, & flammæ intrepidè ſeſe objiciunt. Vires proficiſcuntur à majori craſſitie, & elatere ſpirituum, ejuſque commilitonis copulæ, muſculis compactioribus, & robuſtioribus: hinc enim validior, & diuturnior exploſio.

Nonnulli maniaci, rigente hyeme, jovi frigido expositi, levitè vestiti, frigus non sentiunt, vel saltèm illo non læduntur: intestini caloris major est vis ad resistendum frigori externo, quàm hujus ad illum notabiliter infringendum. Consuetudini in hoc casu aliquid tribuendum.

Vigilias immodicas ad plures menses, annum, & ultrà, si fides sit auctoribus adhibenda, protractas; ex organorum externorum, & internorum tensione, à spirituum tumultuantium impetu ortà, inferimus. Illæ citra noxam protrahuntur, quoniàm propter humorum, & partium solidarum firmiorem substantiæ modum, minor fit dissipatio.

Diù abstinent à cibis, laboresque graves, sine virium exolutione, & macie notabili, tollerant ob eandem rationem.

Post longas inædias, famis stimulos non persentiunt; quia spiritus repulsi ad cerebrum, trahuntur in motum eorum, qui feruntur ad fibras quibus affixæ sunt, objectorum circa quæ delirant idæ: non autèm ex eo quod, fermentum gastricum, ad sanguinis spissi, & bituminosi naturam accedens, non possit vellicare, aut quovis alio modo sufficienter irritare tunicæ nerveæ ventriculi fibras, nec quod, arcente illud mucco tenaciori, & densiori, ad illas pertingere nequeat. Si quod enim vessani dilucidum habeant intervallum, fame caninâ perciti, oblata alimenta devorant.

Imminente, aut præsentè paroxismo, crebris veretri erectionibus, & involuntario seminis jactu obnoxii sunt maniaci: ob majorem corpusculorum seminalium molem, & fermentationis motum, quibus ad venerem proritantur.

Quæ superveniunt convulsiones; ab inæquali spirituum in musculos determinatione, ob inæqualem hæterogenearum

partium permixtionem , nec-non utrorumque expansionem , oriundas , arbitramur.

Taciturnitas , obmurmuratio , garrulitas , risus immodicus , & iracundia levi de causâ , quæ præcedunt maniam , idearum delirarum sunt progenies.

Splendor qui obversatur oculis , aurium tinnitus , dolor capitis , à rarefactione , & stagnatione humorum , inferri possunt.

Causæ remotæ sunt , abusus rerum non naturalium , temperamentum melancholicum , vel nativum , vel adventitium ; melancholici , & biliosi in hunc affectum magis sunt proclives , quam sanguinei : Vix unquam pituitosi eo tentantur.

Diagnosîs ; mania instans , & præsens , ex jam allatis dignosci potest.

Prognosis ; mania habitualis , est curatu difficillima ; à causâ externâ , & occasionali orta , citius , & facilius tollitur ; ex Hypocrate. Si mania superveniat febris , hydrops , varices ; hæmorrhoidum , aut menstruorum fluxus , Diarrhea , aut dysenteria , soluitur. Nec mirum ; cum horum singula , sanguinis fluiditatem , vel virium prostrationem denotent. Dum divinus Senex asserit , mentis alienationem solvere maniam ; per mentis alienationem intelligendus est stupo , in quo spiritus , latice seroso inundantur , & fibræ cerebri flaccescunt.

Curatio evacuantibus , & alterantibus perficitur. Largâ manu & iteratis vicibus sanguis è brachio , & talo emittendus ; tum ut alia remedia , cægius effectum sortiantur ; cum ut vires , ex parte exhauriantur , & Medicis , & ministris ægri morem gerant. Deindè purgatio vehemens instituenda , ut sanguis crassus , & viscidus solvatur , fundatur , & attenuetur. Vinum igitur Emeticum , vel pulvis algarothi , in dosi

sufficienti pro ratione ætatis , & virium, identidè propinandum. Demulcentia , & humectantia tum in cibis , tum in iusculis , & ptisanis alterantibus usurpanda : quibus aperientia , Alkalinis volatilibus referta ; ut humectantia altiùs humores penetrent , eosque diluant , admiscenda. Evacuaciones suppressæ promovendæ , narcotica ad compescendum spirituum æstum , & somnum conciliandum majori dosi præscribenda ; ut injecto timore audacia deprimatur , & retortis fortitè spiritibus , à deliramentorum phantasmatis avertatur animus , verbera impingenda ; àt , cùm balnea aquæ dulcis , corporis calorem temperent , perturbatum spirituum motum cohibeant , humoribusquè fluiditatem concilient , jure concludo.

ERGO , *Mania Balnea aquæ dulcis.*

DISPUTATURI.

Professores Regii.

R. D. Franciscus Chicoyneau,
Cancellarius.
R. D. Joannes Chastelain, Decanus.
R. D. Petrus Chirac.

Professores Regii.

R. D. Antonius Deidier.
R. D. Petrus Rideux.
R. D. Antonius Magnol.

R. D. Henricus Haguenot, *Doctor Aggregatus.*

DOCTORES ORDINARIII.

M. Eustachius Marcot.

M. Antonius Fizes.

Hanc questionem Deo Auspice , favente Virgine Deiparâ , Præsidi D. D. JOANNE BEZAC Professore Regio , Propugnabit in Augustissimo Mons-peliensis Apollinis fano IGNATIUS VENTALO Jocensis apud Russinonenses, Artium Leberalium Magister , & jamdudum Medicina Studiosus , ab horâ octavâ ad meridiem , Die mensis Junii anni 1711.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library



